

C

C. l. 94

Altehrab. D. r. f.

or  
H. 17

33

II 2 C. 35

~~2 N 35~~



M V S Æ

M I S S A E

Ad

C E L E B R I T A T E M N U P T I A R V M

REVERENDI ET  
CLARISSIMI VIRI, DN.  
IACOBI SAGITTARII, DO-  
CTORIS THEOLOGI, ECCLESIAE  
Brentzlouianæ Superintendentis vigilan-  
tissimi, Sponsi:

ET

LECTISSIMÆ VIRGI-  
NIS MAGDALENÆ, CELEBER-  
*rimi Musici, singulari pietate & morum integritate præstantis, Dn.*  
IOHANNIS HORNBURGI, senioris, in Bellien &c. Il-  
*lustrissimi Electoris Brandenburgici, Organici summi*  
*dignissimi, filia, Sponsa,*

à

DANIELE SAXONE M.

*Quibus eiusdem de iisdem nuptijs Echo: & duo epigrammata de insigni-  
bus & Symbolo Dn. IOHANNIS HORNBURGI  
scripta accesserunt.*



I E N A E

Typis Tobiaë Steinmanni impressæ.



Uc ades, ad curuo serpentem tramite Salam,  
Fide, meas semper, Phœbe secute, vias:  
Seu peterem Mulda, rapidi seu flumen Elistri,  
Sive tuum Viader, seu celer Albi tuum.

Huc ades, Aonio deducens vertice Musas,

Ut celebrent vatis coniuga vincla sui.

Qui postquam iuuenis Clarios sudauit ad amnes,

Euasit vestri fama decusq; chori.

Calibis exosus tandem nunc tadia lecti,

Captiuus hominum gaudet inesse choris.

Et posthæc Domine passurus sceptrâ puella,

Sponte dedit molli libera colla iugo.

Jamq; breui sacram Sponsus procedet ad aram,

Et peraget casti dulcia festa tori.

Nunc cape Phœbe lyram, Musæ contendite nervo

Et date diuersis carmina læta modis.

Sic ego: sic fanti mox vestibus astitit albis,

Cum cithara, cornu, cum iaculisq; Deus.

Ponè nouem comites stabant, Heliconis alumna

Monstrabat formæ, numina certa, decus.

Lumina flagrant, roseas iaculantia flammæ,

Aureus in croceo vertice crinis erat.

Fulgida Parnasis cingebat tempora laurus,

Mirus & in toto corpore splendor erat.

Nec

Nec mora, dum lustris sacras ex ordine nymphas,  
Edebat tales Cynthia ore sonos.

Assumus, en, omnes, humili quos voce rogabas,  
Ut ferrent tadis omina fausta novis.

Non hæc sunt nostris incognita compita plantis,  
Fuimus has crebro per iuga celsa vias:

Cum sacra Stigelio dictarent carmina vati,  
Hæc loca, Thespiades, incoluere, Deæ.

Quin hunc, pro Clario tenuerunt flumine, fontem,  
Qui de Saxonia principe nomen habet.

Quod petis ergo dabunt faciles in vota Camæna,  
Tractantes dulcis garrula fila lyræ.

Organa non eadem, non vox est omnibus una,  
Quæq; canet certo carmina grata modo.

Dixit, & aurato percurrrens barbita plectro,  
Accinuit tales voce decente sonos.

A P O L L O .

E Rgo ne te nostro tandem subducis amori,  
Clare vir ingenio, diuina clarior arte,  
Qui te nascentem teneris suscepimus ulnis,  
Aonia tinctum lymphæ, qui protinus artem  
Tradidimus blandis modulandi carmina nervis.  
An natura tibi pectus tam molle creauit,

A 2

Ut do-

Ut domitum mitis possit franare puella,  
Æternisq; tibi constringat brachia vinculis?  
At vero seuum Veneris quem torret ahenum,  
Rectius is carpit socialis gaudia lecti,  
Legitima Veneris visurus premia, natos,  
Quam lucem noctemq; flagret ceu Sicelis Ætna,  
Aut infrugiferis committat semina spinis.  
Figitur, quò fata trahunt, quo te rapit ardor,  
F, quò magnus Hymen vocat & cythereia proles.  
Magdalena tibi multos dilecta per annos  
Sit fecunda, velut frondenti vitis in ulmo,  
Impleat & faustos numerosa prole penates,  
Quæ quondam æternum superis in sedibus ævum  
Exigat, & grato collaudet carmine IOVAM.

C A L L I O P E.

B Eat us, uxor cui proba iungitur,  
Nunquam recusans imperium viri,  
Quæ mente coniungatur illi,  
Et studio rapiatur uno.  
Hunc cura nunquam versat & huc & huc:  
Fortuna quando tristior intonat,  
Amica mollibus marita  
Blanditijs adimit dolores:

Quid

Quid pectus angit, quid, mea lux, tuum?

Fac me doloris participem tui:

Sic inquit, atq; mox amicis

Oscula miscet amica verbis.

Tum forte reptans ante pedes patris,

Ludit facetè turba tenellula,

Et succinit subinde charis

Dulce parentibus, abba, nomen.

Sub Sole non est vita beatior,

Quàm cum pudica vivere coniuge:

Vivas sub ortu, seu moreris

Solis ad Hesperium cubile.

Ergo Iacobus, noster amor, sapit,

Tandem cubilis dum vidui satur

Cum lectuli consorte, vitam

Degere constituit iugalem.

Vix semivivus, vix, fuit antea,

Pars quippe vite maxima defuit:

Fidelis uxor ipsa vita,

Bestia sed malefida mors est.

Nunc inchoabit deniq; vivere,

Nunc in lacertis Magdalidos cubans,

Et osculum ferens, quis, inquit,

Talia dona recuset unquam?

A 3

Vivas

*Vivas virorum stella celebrium,  
Vivas decentum floscule virginum,  
Salui tot ambo lustra, fundet  
Quot niveos modo bruma floccos.*

C L I O.

**D** Electare tuo, puella, Sponso,  
Qui te deperit intimis medullis,  
Qui formosus, amabilis, venustus,  
Non oris specie, decore vultus,  
(Fortes forma viros decet virilis)  
Sed cordis specie, decore mentis,  
Quæ respersa sacro cruore Christi,  
Vincit purpureum nitore coccum:  
In qua religio fidesq; lucet,  
Ut fuluo radiat lapillus auro:  
In qua sessitat artium venustas,  
Et virtutis honos, decusq; morum.  
In qua sidereus moratur Ignis,  
Nati mutuus & Parentis Ardor,  
Et mortalibus auocans ab oris,  
Ac celso rapiens subinde cælo,  
Rimari facit unice Iehouam.  
Hinc magnalia prædicat, beatas

Osten-



Ostendens alijs vias Olympi,  
Vini dogmata per sacra Verbi,  
Dulci dogmata dulciora melle,  
Puro dogmata puriora fonte,  
Cultis dogmata cultiora gemmis.  
Hinc ipsum venerantur ac honorant,  
Quicquid est hominum politiorum.  
Nos quondam, iuuenis, nouem sorores,  
A primis adamauit inde cunis,  
Nos per tesqua, per auiasq; valles,  
Per magnos fluuios, nigrasq; syluas,  
Nos per nubiferas secutus Alpes,  
Donec Romuleam videret urbem.  
Hinc dulces citharæ ferire nervos,  
Et doctum didicit sonare carmen:  
At nunc Pegaseas relinquit undas,  
Tu nunc carior omnibus Camœnis.  
Delectare tuo, puella, Sponso,  
Qui te deperit intimis medullis.

T H A L I A.

L Audibus Sponsam celebrent sorores,  
Et canant formæ melioris hymnos,

Molli-

*Mollibus nobis celebrandis alter  
Versibus Orpheus.*

*Ergo, quae longum tacuere fila,  
Antè Dircais agitata plectris,  
Euge nunc dulcem mihi verberanti  
Edite cantum.*

*Talis, Eoo rediens ab orbe,  
Cynthius, vultu roseo coruscat,  
Flammeo cunctas ut in axe stellas  
Lumine vincat.*

*Thracis, Hornburgus velut, amulator  
Orphei, cunctos superat magistros,  
Musica quos hoc pariunt in arte  
Sidera seculo.*

*Horridos Orpheus domuit leones,  
Hic feros cantu superavit apros,  
Hinc apri fauces gerit in trophæo  
Victor hiantes.*

*Folle iam ventos ubi de tumente  
Organi moles trahit uniuersa,  
Ille miranda modulatur arte*

*Carmina FOVA.*

*Nunc tubæ clangunt, modo sistræ stridunt,  
Nunc lyræ reddunt strepitum sonora,*

*Barbi-*

Barbitus tinnit modò, nunc boatum  
Cornua mittunt.

Cum pedes, tactu, celeres, sub uno,  
Sedecim currunt citò per Syringas,  
Docta concinnas iubet assonare  
Palma tricenas.

Nec sonos tantùm ciet, absq; sancto  
Mentis affectu, studioq; cordis,  
Mens canit, sensus canit, & supremum  
Vox canit I A M.

Testis est Suenus, niger est Haelus,  
Testis est Albis, Viaderq; flauus,  
Quotquot hoc seclum tulit, hunc in arte  
Vincere cunctos.

Non canam quantus pietatis ardor  
In viro cœlos precibus fatiget,  
Sive sol promat radios micantes,  
Sive recondat.

Joua, qui celso resides Olympo,  
Cernis humani penetrabile cordis,  
Totus ut, nosti, tibi mente pura  
Seruiat usq;.

Euge, Musarum decus, euge, salve,  
Orphei dulces imitare cantus,

B

Perge

Perge ventosa Domini Syringe  
Pangere laudes.

Sic tua semper domui fauebit,  
Sic nouis sic nunc faueat maritis,  
Ut tori fœdus bene uortat, iētum  
Sidere fausto.

E V T E R P E.

NÆ plaustra uoluentur prius per æquora,  
Ibuntq; per terras rates.

Et piscis in syluis prius, ceruus fugax  
Carpet profundo pabula:

Quàm prepotens rerum Parens, fidelium  
Curam queat deponere.

Quin ille, qui puro Jebouam pectore  
Cum liberis semper colit,

Floret, uelut uestita palma frondibus,  
Floret propago nabilis:

Acerba quamuis saepe damna sentiat,  
Tum lusitat parum Deus.

Hoc iam tua uides domi, nupta parens,  
Matrum decus mirabile:

Tu cœlitum Regem colis sanctissimè,  
Sen lux uenit, seu nox uenit.

Nihil

Nihil laboras, antequam casto pias  
Ab ore fuderis preces.  
Cum pensa caras ducis inter filias,  
Tollis Jehouam cantibus,  
Quantum sequuntur matris exemplum pia  
Cultu tremendi numinis.  
Qualis parens, tales ferè sunt filia:  
Corui mali pullus malus.  
Ergo vides, ut numinis benignitas  
Te liberosq; prosperet:  
Duabus, en, natis simul dat coniuges,  
(Iam iam daturus tertia)  
Qui non minus pietate vera præditi:  
Sic fata par iungunt pari.  
Benignitatis hæc Dei sunt munera,  
Pietatis hæc sunt premia.  
Sic usq; & usq; conditor cæli, pia  
Curat piorum pignora.  
Hunc oro, pergat ut potente dextera  
Nouos beare coniuges:  
Ut perpetim florere cernas liberos,  
Et liberorum liberos.

ERATO.

**E**xornat species culta puellulas,  
Vultus marmoreus, splendidula coma:  
At maius lepidi conciliant decus  
Mores, & niueus pudor.  
Qualis sus nitidis cincta monilibus,  
Cum iam tota nigro voluitur in luto:  
Talis, sit Veneris sidere pulchrior,  
Virgo, cui perijt pudor.  
Exornat teneras dos quoq; virgines,  
Et parta titulo diuitia bono:  
At numis pietas condecorat magis,  
Omnes fert pietas opes.  
Quod si pulchra simul, si pudibundula,  
Si numata cui, si pia venerit,  
Hanc vir diuitijs praeferat omnibus,  
Hanc vir plus oculis amet.  
Talem, Sponse, tibi iam sociat Deus,  
Cuius blandidula lumina Gratia,  
Et castus faciem conspicuam Pudor,  
Et mentem Pietas tenet.  
Flavis, ecce, comis tempora fulgurant,  
Auro ceu variant artifices ebur,

Serpis

Serpit candidulas purpura per genas,  
Sicut lacte natans rosa.

Absunt illicitæ mente libidines,  
Labris spurcities exulat impudens:  
At cum legitimo ludere compare  
Castis non reuult modis.

Tu numos auidus non petis aureos,  
Aurum sulphureus nil nisi puluis est:  
Sin quod mundus amat, seruus amat Dei,  
Hæc dotata satis venit.

Ad stellata poli templa leuans manus,  
Fundit quotidie cum gemitu preces:  
Non sic flammiferis Ætna calet iugis,  
Ut flagrat pia mens Deum.

Hæc inter reliquas magnifice nurus,  
In spinis veluti culta, nitet, rosa:  
Hinc nomen merito Magdalidos gerit,  
Quæ vox Magnificam sonat.

Ergo, Sponse, tuis digna caloribus,  
Quam vel corde magis depereas tuo,  
Cuius dulce lubens seruitium feras,  
Dum mors vincla resoluerit.

Et nunc casta tori carpito gaudia,  
Æui dum fugiunt tempora floridi:

B 3

Jam

*Jam tristis gelidas bruma niues feret,  
Iam curas senium trahet.*

M E L P O M E N E.

*S*Upreme Caelitum Parens,  
Iugalis autor ordinis,  
Ades Poli de vertice,  
Nouosq; vise coniuges.  
Profunda Matrimonium  
Est vnda, ventis turbida,  
Monstrisq; plena squalidis,  
Jam iam necem minantibus.

*V*enti, Satan, Mundus, Caro  
Immanè spirant in pios,  
Et summa mutant infimis,  
Submersa vellent omnia.

*A*t monstra, quæ circum natant,  
Tormenta sunt, quibus pij  
Semper premuntur coniuges,  
Cura, labor, morbi, fames.

*H*unc ergo quis mortalium,  
Tranare posset gurgitem?  
Ni Conditor rerum, tua  
Ductus potenti dextera.

*Proinde*



Proinde coniuges novos  
Contra tot imminentia  
Præmunias discrimina,  
Celsa fide, spe strenua.  
Hæc arma sunt fortissima,  
Hæc turris instar aeneæ,  
Hæc firma propugnacula,  
Aduersus omnes impetus.  
Et sic valebunt Thetyos  
Perambulare semitas,  
Et sospites ad littora  
Venire, cæli regiam.

P O L Y M N I A.

B Arbite, Melpomenes modulos imitare sacratos,  
Et iam profana numina  
Hinc procul ire iube.  
Ad tædasq; voca viuum super æthere numen,  
Quod hos beare coniuges  
Et velit & valeat.  
Cede Venus longè, Veneris puer improbe cede,  
Abscede Iuno pronuba,  
Postibus Hymen abi.

Huc

Huc ades aeterni Proles aeterna Parentis,  
Jesu, torum qui comprobas,  
Ipseque Sponsus eras:  
Cum peteres thalamum rutilo conspectus in ostro,  
Serto refulgens spineo,  
Nempe Crucis thalamum:  
Quo tibi perpetuo iunxisti foedere Sponsam,  
Tuo redemptam sanguine:  
Huc age, Christe, veni.  
Utque Cana tristes hilarasti munere tadas,  
Haustos liquores alveo  
Dum facis esse merum:  
Sic, quae coniugium lymphae comitantur amara,  
His in Lyaeos transferas  
Coniugibus latices.  
Non vexent animos cura, nec corpora morbi,  
Sed in salubri corpore  
Sint alacres animi.  
Lis fera concordēs nunquam dissoluat amores,  
Nec improbus turbet dolor  
Gaudia lata tori.  
Fœcundis certet, genitrix modo, vitibus uxor,  
Et iam marito, mox patri  
Pignora grata ferat,

Qua

Quæ cingant, oleæ sicut plantaria, mensam,  
Quæ liberent curis auum,  
Exhilarentq; patrem.  
Incolumes ambo tot conseruentur in annos,  
Quot terra bestias alit,  
Quot gerit astra polus.  
Hæc & plura, Deus, concedas commoda vitæ,  
Ut laudibus semper tuum  
Nomen ad astra ferant.

TERPSICHORE.

Sic te diua cohors Poli  
Gratis perpetuò carminibus colat:  
Et sic ortus & occidens,  
Sic axis medius cum Borea truci,  
Omnis gens hominum tuam  
Agnoscat docili mente potentiam:  
Et numen celebret tuum,  
Seu Phœbi veniant, seu fugiant equi.  
Huc huc, Aura potens, patris  
Et Nati pariter numine profluens,  
Huc cœlestis Amor veni,  
Et sponso tepidas adijce flammulas,  
Nuptam diligat ut suam,

C

Sicut

Sicut mirificè Christus amat Sion.  
Et sponsa simul insere  
Casto Magdalidos spicula pectori,  
Ut sponsum redamet suum,  
Ut Christum redamat mirificè Sion.  
Et ceu sidere prospero  
Jam dextras validis nexibus implicant:  
Sic tu nocte tenaciter  
Amborum stabili pectora vinculo,  
Ut sic usq; cohereant,  
Auratis veluti torquibus annuli:  
Dum reddat pariter pias  
Mentes una dies una fides Polo.

V R A N I E.

**M**E Deus ex adyto misit flammantis Olympi,  
Tu, Iacobe, gaudij prænunciam.  
Jovis A potens, unum trino sub numine numen  
Meas sorores invocantes audijt:  
Jamq; dat hæc responsa tibi, sic intonat ore:  
Timore non ficto meum nomen colit,  
Atq; mea pandit populis miracula dextra,  
Monstrans beata semitas ad sidera:  
Nunc igitur contra tanto dignabor honore,  
Maiora votis ut ferat iam commoda:

Omnibus

Omnibus inceptis ventos donabo secundos,  
Potente semper & tuebor numine.  
Nulla fatigabunt incommoda, nulla pericla,  
Fortuna nunquam fulminabit aspera.  
Si tamen interdum dolor & crux sancta molestat,  
Instante fato mox vocatus eximam:  
Exemptoque dabo melioris munera sortis,  
Dabo salutem, rem, domum, propaginem.  
In columis semper dulci cum coniuge vivet,  
Florebit & niues ad usque verticis.  
Denique cum longum terris exegerit aevum,  
Poli micantis occupabit atria.  
Talia promittit rutili moderator Olympi,  
Si creditis, sponsi, feretis omnia.  
Sed iam Vesper adest, satis est, requiescite plectra.  
Valete, sponsi, molliterque ludite.

Talia dulcisonis sociabant carmina nervis  
Phœbus & Aonij numina casta iugi:  
Scilicet in doctas sponsi reverentia Musas  
Musarum tali munere digna fuit.  
Hoc igitur placido, vir præstantissime, vultu  
Accipiens, Musis perge favere: Vale.

421F

C 2

ECHO.

E C H O.

De iisdem Nuptijs.

**E** Cho garrula, iam loquere: E. quare?

Quid Sagittifer ille gaudet? E. audet.

An in rete feram coegit? E. egit.

Et telo penetrante vicit? E. icit.

Num trux, horribilis, proterua? E. cerua.

Nunquid cornua gestat vlla? E. nulla.

Quid, iuuenula vel vetusta? E. iusta.

Forsan cerua fuit puella: E. bella.

Cui favit tria pene lustra? E. frustra.

Hanc feramne sagitta laesit? E. haesit.

Ignes incipit haec fouere? E. verè.

Venatoris amore rapta? E. capta.

Hæc mitis, proba, mollicella? E. stella.

Hæc est florida, delicata? E. grata.

Hæc ferax quasi vitis alma? E. palma.

Lecti pignora num datura? E. plura.

Vivent molliter absq; lite? E. rite.

Annos quot superabit ille? E. mille.

Sed quot secula Magdalena? E. dena.

Echo garrula, nunc abibis: E. ibis.

JNSI

INSIGNIA HORNBURGORVM,

Caput aprugnum & cornua  
taurina.

**Q**uid sibi vult, quaris, distento bellua rictu?  
Cornua quid gemino picta colore notant?

**E**d cornu laudata gerens prosapia nomen

Scilicet hac laudis fert monumenta sua.

Dentibus horribiles apri sunt, cornibus uri,

Et tamen Hornburgi tam fera bruta domant.

Nam velut Ismarius quondam testudine vates

Demulsit ramos, flumina, saxa, feras:

Sic ubi templa suis clangoribus organa complent

Carmen & Hornburgi crure manuq; mouent:

En aper attonitus patefactis faucibus astat,

Bellua quaq; tremit, Cerberus ipse stupet.

Mirantur varios sonitus, variasq; syringas,

Cornua cum crotalis, cymbala, sistra, tubas

Mirantur celeres digitos, plantasq; vagantes,

Et iam sylvestris nil feritatis habent.

Ergo feras quoniam per Musica cornua vincit,

Jure caput victæ gens gerit illa fera.

S Y M B O L V M

P II ET PRÆCLARI MVSICI, DN.

IOHANNIS HORNBURGISENIORIS,  
in Bellien, Illustrissimi Electoris Bran-  
deburgici, Organici summi  
dignissimi:

*J V V A M E J E H O V A I N  
Æ T E R N V M.*

*I O V A, cui persona triplex, essentia simplex,  
Quam bene consentit fabrica nostra tibi:  
Nam tria sunt homini, corpus, mens, spiritus, vni,  
Vnus ut & trinus crederis esse Deus.  
Quid vero corpus, quid mens quid spiritus esset,  
Tu nisi dirigeres numine quodq; tuo?  
Ergo tibi corpus cunctis ut seruiat horis,  
J O V A, tuum seruum tempus in omne iuua.  
Utq; tuam legem mens nocte dieq; reuoluat,  
J O V A, tuum seruum tempus in omne iuua.  
Spiritus ut semper nitidum suspiret ad axem,  
J O V A, tuum seruum tempus in omne iuua.  
Sic ego sic nomenq; tuum laudesq; sonabo  
Corde, labris, digitis, artificiq; pede.  
Sic mihi dum calidos il sanguis & aura per artus,  
Totus ero flatu, corpore, mente tuus.*

*J N*



IN NVPTIAS SECVNDAS DN.

Iacobi sagittarij, Doctoris Theologi, &c.

& Magdalenaë Hornburgæ, so-

roris suæ dilectissimæ,

&c.

**I**am lux festa venit, qua docti sponsa mariti

**A**scendes, dulcis, templa sacrata, soror:

**C**ontribuant alij nunc aurea munera vobis,

**O**mina ego tædis & pia vota feram.

**B**landa dies hæc tota dies appareat usq;

**V**t possint thalami sacra decenter agi.

**S**anctus ab æthereo descendat flatus Olympo,

**M**entibus & castas addat utrisq; faces:

**A**rdeat internis ut sponsum nupta medullis,

**G**rataq; sit cuncto tempore sponsa viro.

**D**iscedant vestris lites & iurgia tectis,

**A**mbobus sit mens una, sit unus amor.

**L**ætaq; vos foueat semper fortuna, dolores

**E**t cure seuos ad Garamantas eant.

**N**on subito vobis disrumpant stamina Parca,

**A**ttingat Pylios saluus uterq; dies.

Christianus Hornburgus. F.

IN WITTELSCHEM RECHENBUCH

1571

1572

1573

1574

I. Ein halbes Jahr, das heißt sechs Monate

A. Ein halbes Jahr, das heißt sechs Monate

C. Ein halbes Jahr, das heißt sechs Monate

O. Ein halbes Jahr, das heißt sechs Monate

B. Ein halbes Jahr, das heißt sechs Monate

V. Ein halbes Jahr, das heißt sechs Monate

S. Ein halbes Jahr, das heißt sechs Monate

M. Ein halbes Jahr, das heißt sechs Monate

A. Ein halbes Jahr, das heißt sechs Monate

G. Ein halbes Jahr, das heißt sechs Monate

D. Ein halbes Jahr, das heißt sechs Monate

A. Ein halbes Jahr, das heißt sechs Monate

B. Ein halbes Jahr, das heißt sechs Monate

H. Ein halbes Jahr, das heißt sechs Monate

N. Ein halbes Jahr, das heißt sechs Monate

L. Ein halbes Jahr, das heißt sechs Monate

Christmann Henning



154886

AB 154886

ULB Halle


3


003 009 254



fu







*M* *M V S Æ* *Æ* *M*  
 MISSÆ  
 Ad  
 CELEBRITATEM NUPTIARVM  
 REVERENDI ET  
 CLARISSIMI VIRI, DN.  
 IACOBI SAGITTARII, DO-  
 CTORIS THEOLOGI, ECCLESIAE  
 Brentzlouianæ Superintendentis vigilan-  
 tissimi, Sponsi:

ET  
 LECTISSIMÆ VIRGI-  
 NIS MAGDALENÆ, CELEBER-  
 rimi Musici, singulari pietate & morum integritate præstantis, Dn.  
 IOHANNIS HORNBERGI, senioris, in Bellien &c. Il-  
 lustrissimi Electoris Brandenburgici, Organici summi  
 dignissimi, filia, Sponsæ,

DANIELE SAXONE M.

*Quibus eiusdem de iisdem nuptijs Echo: & duo epigrammata de insigni-  
 bus & Symbolo Dn. IOHANNIS HORNBERGI  
 scripta accesserunt.*



IENÆ  
 Typis Tobiaë Steinmanni impressæ.

